

machinamenta & vires à contrariâ parte probè sic expertus.
Quare nos cognitâ causâ causâ ejusque signis intrepidè ipsum op-
pugnamus, certâ spe freti, divinô adspicente flatu fortiter à nobis
profligatum iri.

Causum aliquando curabilem, aliquando incurabilem esse,
nemo negaverit; utrique tamen debetur curatio. De illâ res in-
tegra; de hâc non item. Interim semper aliquid agendum, ut na-
turæ succurratur, medicusque ejus fidelis proclametur minister.
Incurabilis licet quandoque hâc videatur febris, nunquam tamen
derelinquendus æger. *Hippocrates z. apbor. 19.* docet, quod acuto-
rum morborum non omnino certæ sint prædictiones, aut salutis,
aut mortis. Hoc observet medicus, & si advertat, periculum im-
minere inevitabile, cum prognosticô adstantibus revelandô
agat, quantum poterit, contendat cum morbo, naturæque per
remedia opem præstet.

CAPUT XXXVI

methodum medendi indicationumque fontes considerat.

In artibus & scientiis duo obtinere oportet: τὸ τέλον καὶ τὰς
πρεγότητας τὸ τέλον πείρησ, finem, & eas, quæ ad finem pertinent, actiones,
secundum Aristotelem *7. politic. cap. 13.* Causa curatio duobus quo-
que obtinetur. FINIS, qui est sanitas, à medico in mente con-
cepta, & MEDIA. ACTIONES seu operationes, quibus sanitas
imperatur, sunt auxilia & instrumenta per seūtēz̄s indicationes ma-
nifestata.

Fundamentum itaque curationis consistit in *methodo meden-
di*, quæ per indicationes eruit auxilia & præsidiorum materias.

METHODUS MEDENDI est vel **UNIVERSALIS**, quæ
universalia continet theorematum, nimirum suis indicationibus, &
medicum dogmaticum ab empirico, qui sola experientia cura-
tionem adgreditur, distinguit; vel **PARTICULARIS**, quæ per
omnes corporis partes universalia applicat theorematum, itaque
illis medicinam exerceat.

INDI-